

monitionis ac præmunitionis loco illis omnibus addidisse, ne quis vel nova scripta vel partem aliquam scriptorum Canonis jam constituto adderet, neve quenquam librorum Canonorum vel partem aliquam Scripturæ Canonice adimeret. *Tam longævam vitam* (scribit B. noster Chemnitius in Harm. Evang. c. 50. p. 278.) *Filius Dei Iohanni concessit, ut monstraret Ecclesiæ ad omnem posteritatem, quæ essent vere yvnia Apostolorum scripta & ab illis Apostolica notatione sejungeret apocrypha & supposititia.*

3. Prævidit scilicet dilectus ille Christi discipulus, qui super eminentem divinæ scientiæ celsitudinem divinitus illustrata mente concepit, cum in sacrosancto mysticæ Cænæ convivio supra pectus Redemptoris recubuit, ut Petrus Damianus sermon. 1. de excell. Joh. Evang. loquitur, prævidit, inquam, quid in Ecclesia Christiana post beatum suum in cælos abitum erat futurum, exsurrecturos puta varii ac diversi generis hæreticos, qui Canonicam N. T. Scripturam, a sanctis Dei viris, Spiritus S. amanuensibus, divina inspiratione editam, adulterare & corrumpere non dubitarent, tum quædam apocrypha & supposititia scripta vel scriptorum partes divino Canonis tanquam laceros quosdam panniculos regie purpuræ assuendo, tum quædam Canonica & genuina scripta vel scriptorum partes ex Canone divinitus constituto detrahendo, ac utroque modo Canonis integritatem & castitatem nefarie violando. Nec obscura divinatione & conjectura opus, quo utrumque Diabolicæ fraudis genus spectet, ad veritatis scilicet divinitus revelatæ oppressionem, & hæreticarum opinionum propagationem. Ideo enim Canonice Scripturæ hæretici addunt quædam apocrypha, ut cum hæreticas suas opiniones divinæ Scripturæ suffragio destitutas animadvertunt, aliquod robur & fulcimentum in apocryphis illis quærant, ideo ex Canonica Scriptura libros quosdam vel partes librorum avellunt, ut Orthodoxos armis, quibus contra errores ipsorum

Scopus illius prohibitionis.